


Pl


Sammelband

45

+







A. R. I. BVNNEMANN
DE
NOBILIVM GERMANIAE
JVRE ELIGENDI IMPE-
RATORES

Uom Recht des deutschen Adels
Bey der Kaiser-Wahl

EX
MEDII AEVI SCRIPTORIBVS
DISSERIT.

W. K. G.
518 C

EXHIBET IN ADPENDICE
PERILLVSTRIS DOMINI
IOAN. PETR. DE LVDEWIG,
ICTORVM FACILE PRINCIPIS
OPVSCVLVM HVC
PERTINENS
CVM ADDITAMENTIS

HALAE SALICAE
Impensis IO. CHRIST. HILLIGERI, Academ. Typ.
C10 DCC XXXVII.

A. R. I. BÄHNEMANN

DE

NOBILIVM GERMANIAE

IURE ET LITTERIS

RATON

Summae doctrinae per seculum

per seculum

IX

MEDI AETI SCRIBTORIBVS

DISERTIS

EXHIBET IN ADPONDIO

PRINCEPS BORVNI

IOAN. PETR. DE LINDVVS

IOAN. FACILE

OPVS CVLIVM

Bähenmann, August Rindolf
Iesaias

CVM ADIUTIVIS

UNIVERSITATIS

IMPENSIS IO. CHRIS. BÄHNEMANN

MDCCXXVII





EPISTOLA PRÆCURSORIA.



Us publicum Germaniæ non est
cerebrinum atque tumultuari-
um, ubi cuique licet quod po-
test; sed fundatum in observan-
tia legibusque Imperii. Maxi-
mam vero cladem accepit li-
bertas germanorum introductione iuris peregrini
conf. Excell. TREVERI diff. admodum elegans *de*
studiis Imperii Romano Germanici urinam procuranti-
bus. Haud ita pridem fere in omne ius publicum
insinuaverat se, Germaniæ vere pestiferum, ius
Romanum vid. *Adp. II. ad KLVGKIST. meum.*
Aliqui quidem probe intelligebant morbos iuris
publici patrii; sed quo maiorem adhibuere ope-
ram, eo minus sublatum est malum quotidie in-
gravescens. Non erant Medici pares huic morbo

exitiali. Quo igitur maior fuit morbus, tanto maiorem nostra ætate habemus Medicum. Non opus est ut eloquar nomen, quum probi omnes æque, ac improbi, licet ultimi ex invidia hoc dissimulent, sciant satis, esse ipsi *Perillustri Dom. a LVDEWIGIO*. Quod quum ita sit, quum eius doctrinæ non alant modo, sed educant animum meum veritatem avide quærentem, gaudeo. Tanto Doctore scio ius Publicum Germaniæ ex historia Imperii legibusque esse petendum vid. *IPSIUS Sing. Iur. Publ.* Idem hoc & alii ante *IPSVM* dixere; sed partim minus eventus docuit hanc ipsos regulam observasse, partim reliquere ius Germaniæ Publicum ita ut antea fuerat, incultum, partim foedarunt amplius multis plusquam anilibus naniis nugisque. Eodem Doctore egregio intelligo, nobilibus etiam olim competiisse ius eligendi Imperatores. Quod dogma paucis notum, vel certe non satis cognitum, hoc opusculo ut probarem, operam dedi. Iucundum mihi fuit argumentum; sed difficillimi laboris, cuius mihi quidem præmium sufficiens erit, benevolum Tuum, de meo Tibi placendi studio, iudicium. Vale, Lector, & me ama, & quod si meliora scis, illa me doce. Dedi in Fridericana Hallis ad salam A. R. S. clō lō cc xxxvii, d. 1, Martii.

DE

DE
NOBILIVM GERMANIAE IVRE
ELIGENDI IMPERATORES.

§. I.

NVper, quum inter amicum & me sermo esset, de D. Jo. Henr. KRAVSIJ *Dissertatione de Potestate eligendi Imperatorem ad solos Electores restricta*, incidimus inter alia etiam in §. XXV. ubi AVCTOR ita differit: *Dubitandum non est, primo suis suffragiis in electione novi Imperatoris excidisse infra fortunam Principum constituta Imperii membra, Nobiles atque urbes. Quamvis enim sint, qui suffragia ipsis plane denegant, non possum tamen adeo facile accedere nullis rationibus munitis, & solis coniecturis praefraete insistentibus.* Hæc verba quum amico meo prælegissem, & ille observasset iisdem, Germaniæ nobilibus olim competiisse ius suffragiorum in comitiis vel electoriis, concedi; subdubitare cœpit, an ex historiæ monumentis hoc hauriatur, ac pro vero habendum sit principium? Ego hoc nullus dubitans, ita scilicet in scholis *perill. Dom.* a LYDEWIG, Juris publici restauratoris incluti, doctus, adfirmavi, simulque ipsi dextram fidemque dedi, me ipsi omnia ex mediæ ævi scriptoribus intra aliquot dies probaturum. Habes Lector causam opusculi. Scias profecto, ex hac doctrina maximum lumen affundi rebus mediæ ævi, in primis autem ius publicum uberrimos fructus huius sententiæ fert. Non inutilem itaque spero fore nostrum laborem.

Occasio scripti.



§. II.

*Momentosa
Nobilium
Germaniae
iura.*

Momentosa certe omni ævo Germaniæ nobilium iura fuerunt; id quod adeo verum est, ut etiam suprematu in Germania antiqua nobiles instructi fuerint, quod probatum est *Opusculo III. ad KLVGKISTIVM meum*. Ex hoc etiam fundamento commendavi alibi Juris publici studiosis, ut ante omnia inquirent sedulo in nobilium iura, maxime, quum adeo ab aliis negligentur. Dicam breviter, quid in causa sit, ut adeo negligentur deponanturque nobilium iura. 1) Ex illorum studio parum lucri redundare existimant. 2) Parum protectionis iis erit, qui nudam dabunt veritatem, quippe quæ pallianda est ne statim in oculos mortalium incurrat, quum adeo sit exosa. 3) horrent iter, quod fere ducibus destituantur. Errones multos anteuntes habent, sed, qui ipsos veram veritatis viam doceant, fere nullos habent; sed ficcine veritas negligenda est? Minime gentium! nihilominus investiganda est sedulo. id vero nobilium iura tractantes, inprimis sibi commendatum habeant, ut Poloniæ nobilium statum sibi notissimum, quoad eius fieri potest, faciant. Hi Poloni nobiles in plurimis Germaniæ antiquæ mediæque nobilibus quam simillimi sunt. Hinc comparisonem inter utrosque instituere debent, ut maius lumen in rebus obscuris, filum Ariadneum, in rebus intricatis complexisque, obtineant. Mallem quidem plura dicere de hoc argumento & omnia illustrare exemplis, sed frena iniicienda sunt animo ulterius meditantis, quum in rem præsentem sit eundum. Sed tamen id auctor suavorque sum Lectori, ut, ad melius intelligendum ea quæ

quæ mox dicentur de iure eligendi Germaniæ nobilium, adeat scriptores Polonos, ex iisque hauriat notitiam iuris Poloniæ nobilium circa electionem. Nam, quæ in hoc apud nos abrogata sunt, illa obtinent etiamnum apud Polonos libertatis pristinae strenuos, ut decet, defensores.

§. III.

Quam mihi in *Pref. ad Opusc. de Codicill. Indult. con-* *Vnde nobilibus ius eligend. Impp.*
nub. milit. scripsi legem, etiam hic observabo. Dabo scilicet ante omnia causam, unde nobilibus Germanis eligendi Imperatores ius ortum sit? sed non nisi succincte. Est reliquia antiqui iuris suprematus nobilium vid. *Opusc. III. ad KLVGRISTIVM §. VIII. Et antecedentia.* Scilicet qui libertate naturali gaudent sibi quem volunt superiorem eligere possunt. Deinde imperatores Principesque ex Germaniæ mediæ facie tantum summi sunt in coimperio procerum. Saltem id respectu Procerum sunt, quod caput inter reliqua corporis membra. Porro ex Germaniæ statu publico ita receptum est, ut Imperium sit Electio hereditarium. Hanc ultimam thesin deinde probatam dabo. Nobilitas, Germanica olim quum esset in coimperio cuiusque Provinciæ, etiam in omni Imperio Romano-Germanico in coimperio erat. Vltimum hoc de iis tantum nobilibus est intelligendum, qui vere nobiles h. e. liberi ab omni servitute erant. Germaniæ vero nobilitatem in coimperio cum Imperatore & reliquis Imperii Proceribus fuisse, vel ex uno, quod Friderico. I. accidit exemplo, patet; quod exemplum ubi legerim iam scribenti non succurrit, sed narrabo illud alio tempore. Ex Germaniæ mori-

moribus Imperatores a Principibus Imperii semper electi sunt, hoc est, ab iis, qui membra Imperii sunt coimperium habentia, quo numero etiam habendi nobiles. Probari enim ex medii aevi scriptoribus facillimo negotio potest, non tantum Duces comitesque, sed & reliquos Imperii nobiles, Principes dictos fuisse. vid. *infra* §. XII. Principes mox ac Imperator diem obiit a nexu pactitio liberi sunt. Pristinæ iterum libertati omnimode restituti sunt. (1) Hinc novum Imperatorem quemcunque volunt, sibi eligere possunt h. e. renunciare quadantenus libertati suæ naturali in favorem alicuius. Atque Principum nomine venire & nobiles, palam est, unde ipsis quoque ius eligendi comperit. Certe ex mox dicendis luce meridiana clarius fiet, satis superque liquere ex Germaniæ observantia dem Reichs herkommen, quod tam apud Francos quam apud Germanos olim nobilibus ius eligendi Imperatores comperierit.

- (1) Num ergo status vivo Imperatore libertate naturali non gaudent? gaudent utique; licet illi quoad partem renunciarint ut e. g. Reges Principes atque Reipublicæ liberæ per pactum quandoque facultati suæ naturali vel in æternum vel in aliquod tempus renunciant. Hinc liquet Imperii status suprematum habere quum sit *Imperium libertate naturali coniunctum* vid. *Adpend.* III. Ad KLVGKISTIVM §. IV. id, quod LEIBNITZIVS sub nomine ficto FÜRSTENERII integro libro de *iure suprematus Principum* abunde docuit, licet veram suprematus ideam non habuerit.

§. IV.

Dixi §. III. olim etiam Franciæ nobiles elegisse Imperatores. Paradoxon hoc alicui videri posset, nisi probarem

Francic. regn. et hered. electi sunt.

barem rem omnem ex historicis. Ante omnia vero est evincendum a nobis Regnum Francicum fuisse electitium seu potius hereditario electitium. Frustra enim est TITIVS ad MONZAMB. *Cap. I. §. 7. (k)* p. 37. existimans, nullam huius controversiæ utilitatem esse in I. P. hodierno quum tamen inde decidendum sit, quo iure iam Franciæ regnum sit electitium? Sunt vero Doctorum in hac re variæ opiniones, quæ tamen in hæc tria asserta abeunt omnes, vel 1) Regnum Francicum esse hereditarium, vel 2) electitium, vel 3) mixtum ex electitio & hereditario, de quibus diversis sententiis iam aliqua breviter dicam. 1) Galli & Docti, & quos munera regia, regi devotos reddunt, in eo in primis occupati sunt, quod adulatores facere solent, ut regum iniustam causam ex antiquitate specie iusti pallient. Scilicet aiunt, quo nihil potest esse falsius, Francicum regnum statim ab initio hereditarium fuisse BALVZIVS *Nor. R. Franc. Tom. II. P. II. p. 1081. sequ.* omnes gerras movet, ne exinde omnia alia eluceant. Huic iungatur PETRVS PITHOEVS *ad vitam Caroli M. ab ANONYMO ENGO- LISMENSI descriptam* p. 283. s. *Le Pere DANIEL* in egregio plane opere *L'histoire de France dans la Preface. Art. III.* non minorem operam ideo adhibet. Miramur ideo, qui potuerint Germani nostri Gallorum næniis hic subscribere. conf. LIMNEVS *ad Cap. Car. V. Præm.* p. 49. HORTLEDER *ad ONVPHR. PANVIN. De comitiis Cap. V. apud GOL- DASTVM Pol. Imp. p. 1. BOECLERVS Hist. sæc. IX, & X. p. 19. 20. 21. I. HERTIVS Notit. Franc. Regni Cap. IV. §. 6. VITRIAR. I. P. Lib. I. Tit. VI. §. 1. § 2. MONZAMBANO (sive PVFENDORFF)*

B

Cap.

Cap. I. §. 7. WAGENSEIL *De Rege Romanorum* §. VII. taceo alios, ex novioribus faltem fufficiat nominasse B. GVNDLINGIVM *Gundling*. p. XVII. n. 2. p. 141. *sequ.* Excell. STRUVIVM *Synt. Hist. Germ. Diff.* VI. §. 12. p. 157. & s. I. p. Cap. VII. §. 2. existimant quidem hi ultimi fuisse Francicum regnum mere hereditarium sub Merovingicis & Carolingicis, usque ad Arnulphum. Contra 2) alii asserunt, cui quidem sententiæ historicorum testimonia respondent, Francicum regnum fuisse electivum. Neque hanc sententiam dissimulat HOTTOMANNVS, ipse Gallus, immo probat *Franco Gallie* Cap. VI. qua propter ipsos Gallos adversarios sibi habuit. Quod ultimum adeo verum est, ut, ex indignatione, MORISOTTVS non erubescat dicere in *Henr. M. Cap.* XI. p. 33. scripto illo profstituisse HOTTOMANNVM nomen suum maxime in clutum, quo ipso MORISOTTVS palam dat, se nomine suo quod & græce & Gallice simul stultum denotat, quam dignissimum esse. A parte HOTTOMANNI stant ex nostris LEHMANNVS *chron. spir. lib.* II. Cap. 3. PONTANVS *Orig. Fr. Lib.* IV. cap. 10. PACIFICVS D. V. §. 2. p. 178. KVLPSIVS *ad MONZ.* I. *noxx citand.* p. 54. & inter alios opinionem illius maxime defendunt B. COCCEN *Iur. Publ. Cap.* VII. §. 14. & 15. item B. THOMASIVS *ad MONZ.* Cap. I. §. 7. p. 62. *sequ.* Huc etiam inclinare videtur sententia Excell. D. KEMMERICHII qui *Lib.* I. I. P. Cap. I. §. 6. putat, ut & historia magis conveniens est, sub Merovingicis Francicum regnum quidem hereditarium fuisse, sed sub Carolingicis sibi plus sumfisse Gallie proceres.

s. V.

Probatur hoc.

Enimvero magis nobis placet 3) opinio regnum Fran-

Francicum ex hereditario & electio mixtum fuisse. Est hæc opinio H. GROTH *de I. B. & P. Lib. II. cap. 9. §. XI. n. 3.* SCHVRZFLEISCHII *in Diss. quid expediat Imp. CONRING. ad LAMPAD. p. III. Cap. II. §. 4. & de Septemu. Imp. Th. XIII. SCHILTERI Jur. Publ. Lib. I. Tit. XIV. §. II. sequ.* HORNII *Jur. Publ. Cap. XVII. §. 2.* SCHWEDERI *Jur. Publ. Spec. p. Sect. I. cap. I. §. 8.* Dabo huius Opinioni argumenta) *Exempla quæ mox exhibebo probabunt Francorum consensu atque voluntate semper Reges fuisse constitutos, unde 2) CAROLVS CALVVS in Capitulat. Tit. XXX. cap. I. Apud BALVZIVM Tom. II. pag. 133. illud olitanam consuetudinem, vocat. Cape rem omnem: Franci olim elegerunt sibi Reges libere, GESTA FRANC. Cap. IV. AIMOIN. Lib. I. Cap. IV. VETVS GENEAL. REG. ap. CHIFFLETIVM. Anast. Childer. p. 13. GREGOR TVRONENS. Lib. II. Cap. 12. sed tamen ita moris erat, ut, nisi plane momentofas causas haberent ob quas divortium ab olitana consuetudine (Oolen Gewoonheit) facerent, subsisterent in domo regis defuncti. Nam multa commoda inde habebant. 1) enim qui ex regia stirpe aptiores ut plurimum esse solent ad habenda Imperii Gubernacula. 2) satius est ideo, ut electio certis domibus quasi adfixa sit, quum non tantum nimis crebra mutatio valde noxia esse soleat, sed & 3) noviter ad Imperii culmen evecti difficiliter necessarios sumtus habeant, quam quibus hereditario iure thesauri regii relictæ sunt. Accedebat etiam, quod: STEPHANVS Papa Francorum Principes benedictione & Spiritus sancti gratia confirmavit, & tali omnes interdictione & excommunicationis lege constrinxit, ut nunquam de alterius lumbis Regem in ævo presumant eligere, sed ex ipsorum, quos & divina pietas exal-*

zare dignata est, & sanctorum Apostolorum intercessionibus per manus Vicarii ipsorum beatissimi Pontificis confirmare & consecrare disposuit, (2) (hoc est, Pipini & filiorum, Caroli ac Carolomanni) quam clausulam ex GREGORIO TIRONENSI de gloria confessorum nobis conservavit MABILLONIUS De Re Diplomatica Lib. V. p. 348. Fuit itaque regnum Francicum mixtum ex electio hereditarioque, quam sententiam etiam pluribus probarem, quod si iam liceret esse fusiori.

(2) Vel hinc liquet, quae iam tum Pontificis in Electione Autoritas fuerit, neque ideo adeo increpandus Papa, quod sic se regni negotiis immiscuerit, quum 1) cuique liceat potestatem suam augere 2) potius notandi fiat, qui tantum potestatis Papae concedunt. Ceterum novi amicum quendam doctum qui elegantem libellum conscripsit de Potestate Papae in eligendo Imperatore, quo quidem fusius hoc argumentum excussit. Publicationis spem nobis haud ita pridem fecit, id, quod avide expectamus. Interim tamen Lector adeat PARIDIS DE GRASSIS Diarium curiae Romanae Tom. I. collectio nis nova scriptorum ac monumentorum pag. 423. & 427. Consilium oder bedanken an Kayser Ferdinanden, wie des Pabsts zu Rom Pii V. unbilligem Anmassen wieder S. Kayserl. Majest. ordentliche wahl durch die Churfürsten des H. Reichs ohne des Pabsts consens und Bewilligung geschehen, zu begegnen sey; gestellt aus S. Kayserlichen Maj. befehl durch Herrn GEORG SIGISMUND SELDEN. u. s. w. Jrs. 1612. 4. scriptum vero est consilium hoc, quum Papa resignationem Caroli V. in manus suas fieri debuisset praetenderet reperitur & apud GOLDAST. in politicoischen Reichs-Händeln P. V. fol. 167. his iungantur GARSENIUS de pontificia electi Romanorum Imperatoris coronatione oratio. SCHARDII A'véuxnois iuris, quod in approbandis pontificibus Imperatores habuerunt, cum brevi commemoratione, quomodo vice

do vice versa Imperatoria Majeſtatis confirmatio a pontificibus
 introducta & uſurpata ſit. WERENBERG De electorum origine,
 WEBERI Papa quid facis? ſive Diſcuſſus Academicus de vanis
 & iniquis Pontificum circa electiones Imperatorum moliminibus.
 Quid nuperrime, quum Carolus VI, A. O. M. eligeretur, Pa-
 pa auſus ſic intelliges par *Les Remarques ſur le bref de Sa Sain-
 tete a S. M. L' Imperatrice Mere.* Neque Papa nullum præ-
 renſionis ſuæ fundamentum habet nam 1) ut ſubditus eligere
 cum principibus Italiæ non poteſt, quum electioni ſuæ ſe-
 mel renunciauerint, 2) non ut vicarius Chriſti, quia il-
 lud ſe eſſe nondum probavit 3) non ex obſervantia vel præ-
 ſcriptione, quia hæc a) non locum habet inter gentes b) etiam
 interrupta eſt c) ex errore indultum papæ, quum putarent il-
 lum ceu oraculum Dei eſſe conſulendum, forſan inde ab ad-
 probatione Papæ ſe *gratia Dei Imperatores dixerunt.* conf. ele-
 gantes & doctæ HAGELGANSSIORVM ſub GEISLERO *habita diſ-
 ſertationes de titulo nos Dei gratia,* item quæ ſub WINDECKII
 nomine *adverſus NEVMANN DE PVCHOLTZ* ſcripta eſt *de hoc ti-
 tulo diſſertatio,* nec non *Außerſener Anmerkungen über aller-
 hand wichtige Materien und Schriften 3. Theil Obf. IX. p.*
248. ſqq. Perill. Dom. DE LVDEWIG ad Proem. liſt. in Opuscl.
Miſcell. Erläuterung der güldenen Bulle & IVSTINIANO M.
 Certe illud negari nequit maxime ſub PHILIPPO SVEVICO nimi-
 um quantum tributum eſſe auctoritati papali, de quo infra
 §. XXIII.

§. VI.

Sed age quæſo, videamus iam exempla imperato-
 rum procerum ſuffragii electorum. Initium faciam *Exempla*
 Carolingicorum Patre Pipino. Nam quum inertia Me- *Imp. Franc.*
 rovingicorum Pipino occaſionem daret, ut ad ſummam *p. Proceres*
 reipublicæ adſpiraret vid. *MONACHVS EGOLISMENSIS in Vita* *elector. Pri-*
Caroli M. p. 46. EGINHARDVS in vita Caroli M. Cap. I. SIGE- *mum: In Pi-*
pino.

BERTVS *in vita Sigeberti Austrasiorum Regis Cap. IV. p. 229. Tom. I. Mens. Febr.* ACTOR. SANCTOR. *conf. ANNALES INCERTI AVCTORIS ad a. 752. apud PETRVM PITHOEVM Script. Annal. & histor. Francor. & RVDOLFFVM DE DICETO in Abbreuiationibus Chronicor. ad a. 662. sed videatur etiam CAROLVS LE COINTE Annal. eccles. in Dedicacione Tomi IV. tantum impetravit Papæ maxime auxilio, ut a Francis Rex eligeretur vid. apud ANDREAM DV CHESNE Tom. II. Script. Francicor. ANNALES EX MSTO TILLIANO EDITI ad a. 749. & ANNALES FRANCICI ad a. 749. ANNALES FVLDENSES ad a. 751. p. 5. & 752. p. 6. EGINHARDVS Cap. III. Papa enim & proceres deponebant Childericum a. 750. vid. Tom. I. Mensis Februarii ACTOR. SANCTOR. d. I. p. 225. atque ANNALES PITHOEANI a. 752. p. 6. Hinc etiam CHIFFLETIVS quidem *Stemmatibus Austr. Cap. III. n. 4. p. 42. recte dicit: Carolingos regum inertiam ad solium provecisse, licet sine ullo iure dicat: Pipinum coronam usurpasse nam 1) Childericus rite procerum iudicio depositus erat, ex iusta causa, quod non expleret partes officii sui; quod adeo verum est, ut etiam ideo pro falso rege habitus fuerit. vid. ANNALES LAVRISHEIMENSES ad a. 750. deinde 2) BLONDELLVS iuste monet in Prefat. Apologet. plagula XXXI. a. 6. illum, qui unanimi Francorum liberorum, & Rege carentium (Childerico deposito) consensu, coronam suscipit, usurpatæ coronæ reum peragi non posse. Certe Pipinum procerum votis electum fuisse scriptores docent abunde. Sic MONACHVS EGOLISMENSIS in Vita Caroli M. p. 46. ita, Franci cum consilio Domni Papæ Zachariæ & nobilium Romanorum Deo volente uno consensu & una voluntate elevarunt sibi in Regem Pipinum Pium filium Caroli Martelli, GREGORIVS TYRONENSIS*
ita*

ita rem narrat ad MABILLONIVM *de re diplomatica Lib. V. p. 384. n. 3. Dominus florentissimus Pipinus Rex pius per auctoritatem & imperium sanctæ recordationis domni Zachariæ Papæ. - - & electionem omnium in regni solio sublimatus est. Idem docet paullisper mutatis verbis CONTINVATOR FREDEGARIÏ p. 161. apud FREHER. ANNALES BERTIN. a. 750. unde satis superque liquet: 1) Franciæ Proceres & deposuisse reges & 2) elegisse Pipinum.*

§. VII.

Carolus M. & Carolomannus itidem per Proceres Reges creati sunt; licet per Papæ iussum, cuius tum maxima erat auctoritas, sub poena excommunicationis, quam quidem ad unum omnes timebant, regnum hereditario iure Carolingicis fuerit munitum. vid. 10. MABILLONIVS *de Re diplom. Lib. V. p. 348. electionem ipsam tamen factam testantur sibi nihilominus conservarunt proceres. EGINHARDVS cœvus reliquis fusior Cap. III. ita rem narrat: Franci facto solenniter generali conventu AMBOS sibi reges CONSTITVUNT. CONF. HINC MARI Epistola ad L. Balbum ANNALES LAVRISHEIMENSES a. 768. ANNALES FRANCICI ad a. 768. EGINHARDVS *vita Caroli M. p. 3. ASTRONOM ad. 768. VET. CHRON. ap. DV CHESNE Tom. I. p. 350. MARIANVS SCOTVS Lib. III. Chronici ætate VI. p. 438. qui ultimus in eo tantum errat, ut illud factum esse existimet a 770. errat etiam 10. ASSERIVS Annalium p. 154. qui illud ad a. 769. refert; quum maior fides ANNALIBVS FRANCICIS sit habenda atque ANNALIBVS LAVRISHEIMENSIBVS. Ludovicus Pius Caroli M. filius etiam Procerum Imperii voluntate obtinuit imperium THEGANVS de gestis Ludovici §. VI. p. 71. hoc**

*In Carolo M.
& Carolo-
manno.*

*In Ludovico
Pio.*

hoc ita narrat: *Imperator vocavit filium suum, Ludewicum, ad se cum omni exercitu (qui scilicet ex nobilibus Francie erat compositus) Episcopis, Abbatibus, (quorum tunc maxima Auctoritas, ita, ut nihil fere sine ipsorum voluntate publice ageretur; inter alias eius & hæc ratio fuit, quod nobiles essent.) Ducibus, Comitibus loco positis, habuit grande colloquium (sive comitia) cum eis Aquisgranæ palatio, pacifice & honeste ammonens (non imperans, quod ramen potuisset si regnum habuisset mere hereditarium,) ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes a maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum id est Imperatoris, filio suo Ludewico tradidisset. Illi omnes responderunt, Dei esse ammonitionem illius rei &c. conf. AVCTOR. Vitæ Ludovici p. 357. 58. Testam. KAROLI M. ap. PITH. p. 285. ANNALES FRANCICI apud du CHESNE, METENSES, BERTINIANI & reliqui. ANNALES LAMBECIANI Lib. II. Comment. de Biblioth. Vindobon. Cap. V. p. 376. n. XLV. ex his autem omnibus patet Carolum Magnum, Carolomannum, atque Ludovicum Pium per proceres Imperii gubernaculis admotos esse,*

§. IIX.

In filiis Ludovici P.

Etiam Ludovici Pii filii Procerum iudicio obtinuerant ius ad regnum, quod unusquisque ex iis armis prosequeretur auxilio electorum suorum. Hinc ita HINGMARVS in instructione ad Ludovicum Balbum §. IV. p. 180. Oper. Tom. II. mortuo Hludovico Imperatore, avo vestro, quidam de istius regni Primoribus evocaverunt Hlotharium &c. Quidam de Regni Primoribus fuerunt cum Carolo, &c. & quidam cum Hludovico &c. sed tandem quum hoc diffidium componeretur, iudicio Procerum regnum inter fratres

tres divisum est, quod iterum fieri non potuisset, nisi electitium fuisset, Proceribusque competiisset ius cognoscendi de Possessione Imperii. Dabo integra maxime notatu digna verba scriptorum. NITHARDVS de *dis-
 sensionibus filiorum Ludovici P. Lib. IV. quum p. 106. nar-
 rasset, fratres convenisse æquo numero Priorum seu Pro-
 cerum &c. pergit ita p. 107. Tandem pro commoditate o-
 mnium hinc inde visum est, ut confluentium missi illorum
 (Priorum seu Procerum) centum decem videlicet absque
 obsidibus convenirent, inibique regnum prout æquius possent di-
 viderent. ANNALES METENSES ad a. 343. Anno Dominicæ incar-
 nationis DCCXLIII. descriptio Regno a Primoribus & inter
 partes diviso, apud Viridunum, Gallæ civitatem, tres reges
 mense Augusto convenientes inter se dividunt. CONF. ANNALES
 BERTINIANOS ad a. eund. & TABVLAS huius pacis a MIRAEO, BA-
 LVZIO Tom. I. p. 573. LECOINTE da'as. Lotharium I. etiam *In Lothario
 Primo.* populo imperium debere memoriæ prodidit PASCASIUS
 RATBERTVS in *Vita Walæ Lib. II. cap. XVII. p. 513. ubi inter
 alia ita verba facit Lotharius: quando me consortem totius
 Imperii Celsitudo vestra, una CVM VOLVNTATE POPVLI consti-
 tuit, in omni potestate & honore &c. quibus verbis clariora
 fiunt hæc CHRONICI MOISSIACENSIS ad a. 317. Imperator Clo-
 tharium, qui erat maior natu (ipsi filius) Imperatorem ele-
 git, (Ipse scilicet cum Proceribus) ac per coronam aure-
 am tradidit ei Imperium, populis acclamantibus, & dicentibus:
 Vivat Imperator Clotharius. &c. quippe quæ verba mihi alio-
 quin dubia excitare potuissent.**

§. IX.

Ludovicum II. consensu Procerum ad regimen per- *in filiis Lo-
 venisse, nullus dubito, licet auctores non habeam; nam tharii I.*

C

non

non probabile est, in illo aliquid esse immutatum. Neque Paternam dispositionem sine Procerum consensu factam esse, mihi quidem videtur. Etiam Procerum ipsius temporis auctoritas abunde multum elucet ex his verbis ANNA-
LIVM BERTINIANORVM ad. a. 856. *Ludovicus & Lotharius Karlo, fratri suo, Provinciam & Ducatum Lugdunensem iuxta Paternam dispositionem distribuunt, ERIPIENTIBVS EVM A FRATRE LOTHARIO OPTIMATIBVS, qui (Lotharius) illum moliebatur in Clericis tonsurare. Filius Lotharii Lotharius etiam per Proceres Rex Franciæ est constitutus huius rei auctores mihi sunt, ANNALES BERTINIANI qui ita ad a. 856. Proceres quondam Lotharii filii eius Lotharium, Regem Franciæ, etiam sacra ratione constituunt. Et ANNALES FVLDENSIS, qui ad a. 855. sic habent: Principes & Optimates regni, filium Hlutharium super se regnare cupientes, ad Hludovicum, Regem orientalium Francorum patruum eius, in Franconofort eum adducentes, cum consensu & favore illius sibi regnare consentiunt quorum prior verbo quondam ad a. 855. respicit. Extincto Ludovico II. Proceres elegerunt Carolomannum, quod EUTROPIVS PRESBYTER LONGOBARDVS in tractatu de iuribus ac privilegiis Imperatorum in Imperio Romano apud MELCHIOREM GOLDASTVM Tom. I. Monarchiæ Imperii p. 10. doceat, licet Carolus Calvus tamen cum Paparum auxilio tandem per varias artes prævaluerit.*

*In Carolo-
manno.*

§. X.

*In Ludovico
Germanico.*

Consilio consensuque Procerum Ludovicus Germanicus exutus est omnibus terris excepta Boioaria. Loquantur hoc ANNALES FVLDENSIS ad a. 838. & 839. ita: *Imperator consiliis quorundam ex primoribus Francorum, acquiescens pacis conscriptione, Hludovico, filio suo Regnum Orientium*

lium

lium Francorum, quod prius cum favore eius tenuit, interdixit.
 &c. In Carolo Calvo illud est memoria omnino dignum,
 quod, quum regnum Lotharingicum ambiret, provo-
 carit ad populi electionem, prout ex eius mente lo-
 quutus est *Episcopus Metensis* AVENTINVS: -- In concordi no-
 stra unanimatate -- hunc regni heredem esse legitimum, cui
 nos sponte commisimus. - vid. ANNALISTA BERTINIANVS ad a. 869.
 SIRMONDVS Tom. III. Concil. Gall. p. 384. Licet ex historia
 constet non rite fuisse electum Carolum hunc Calvum; *In Carolo*
 nam aliqui tantum in illum confenserunt vid. ANNALISTA *Calvo.*
 BERTIN. l. c. Carolum Crassum Proceres crearunt Re- *In Carolo*
 gem. Nam, *Karolus, quum audisset obitum fratris sui (Lu-* *Crasso.*
dovici Saxonis) de Italia per Boioriam iter suum in Franci-
am direxit, placitum generale ad Wormatiam tenuit receptis
primoribus & regno fratris sui mense Maio; sic narrat ANNA-
LISTA FVLDPENSIS ad. a. 882. eodem electionis iure Galliaë
regnum tandem fratre Carolomanno iam a. 884. mor-
tuo, a. 885. adeptus est. Hinc IO. ASSERIVS SCIREBVRNEN-
SIS EPISCOPVS Annal. p. 169. ad. a. 885. refert: Carolum, Ale-
mannorum Regem, & omnia regna, que sunt inter mare Tyr-
rhenum, & illum maris sinum qui inter antiquos Saxones &
Gallos adiacet, voluntario omnium consensu accepisse. conf. SI-
GEBERTVS GEMBLACENSIS ad. a. 885. item REGINO, ANNALES
BERTINIANI, HERMANNVS CONTRACTVS ad a. 884.

§. XI.

Arnulphus debebat etiam regnum suum liberae Prin- *In Arnulpho.*
 cipum electioni, hinc OTTO FRISINGENSIS Lib. VI. Chron.
 cap. IX. p. 123. refert: anno Domini DCCCLXXXVII. Prin-
 cipes regni apud Triburias circa transitum S. Martini Arnolfum
 ad regnum traxisse conf. ANNALES FVLDPENSES ad An. 887.

Huc etiam pertinet locus ex ANNALIBVS FVLDENSIBVS ad a. 889. Rex apud villam, quae dicitur Forchhem, generale conventum habuit, ibique disputans de statu regni sui, consultum est, ut eodem tenore primores Francorum prout Botoarii iuramento confirmarent, ne se detraberent a Principatu & Dominatu filiorum eius Zwentibulchi quidem & Ratoldi - - quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem regia satisfacientes voluntati, dextram dare non recusantes, cetera. Arnulphi filius Ludovicus per Proceres Rex factus est testis huius rei esto REGINO PRVMIENSIS ad a. 900. qui: Proceres & Optimates, inquit, qui sub ditione Arnulphi fuerant, ad Forchhem in unum congregati, Ludovicum filium praefati Principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, Regem super se creant, & coronatum regisque ornamentis indutum, in fastigio regni sublimant. item HATTO MOGVNTINVS in Epistola ad Pontificem apud WIGVLEVVM HVNDIVM in Metropoli salisburgensi Tom. I. p. 47. ita scribit: *Quem regem eligeret parvo tempore in scia (Germania) mansit, & quia timor magnus aderat, ne solidum regnum in partes scinderet, divino, ut credimus instinctu factum est, ut filius (Arnulphi) senioris nostri, quamvis parvissimus, communi co: filio Principum, & totius Populi consensu, in regem elevaretur. Quae quidem testimonia luculenter probant Arnulphum & Ludovicum infantem procerum nobilium electione ad regimen pervenisse.*

§. XII.

Hæc exempla sunt, quibus probo 1) regnum Francicum fuisse electivum & hereditarium simul; licet illud negari nequeat, quod deinde factum sit mere hereditarium Regum machinationibus. (3) deinde 2) in electione requisitum quoque fuisse consensum nobilium,

In Ludovico
Infante.

Nobiles vo-
cantur :
Principes,
Optimates,
Magnates
Primates,
Proceres.

um, quum tam apud Francos, quam apud Germanos scriptores, *nobiles vel Primores, Primates, Magnates, Proceres Priores, Optimates Principes terrae*, dicantur, vel sub *omni populo* intelligendi sint. En, argumenta sententiæ, quæ in sequentibus instar fundamenti esse debet! 1) *In Prologo LL. Vet. ap. BALVZIVM Capitul. R. R. Fr. T. I. p. 26. sic est. Hoc decretum est apud Regem & PRINCIPES eius, & apud cunctum Christianum, qui infra regnum Merovingorum consistunt. Titulus LEGIS ALAMANNORVM in antiquis Codicibus ita incipit: Incipit Lex Alemannorum, quæ temporibus Clotharii Regis una cum PRINCIPIBVS SVIS - constituta est. quum contra alii Codices ibidem loco: PRINCIPIBVS habeant verbum: PROCERIBVS. Item OTTO IV. in Epistola ad Innocent. III. n. XX. registri de negotio Imperii, p. 694. - Inter Principes tamen Saxonie tam nobis, quam duci suevie adherentes - - - ubi satis clarum est, sermonem fieri de Proceribus Saxonie; tacitus prætereo sexcenta alia exempla, quæ idem perhibent abunde. Huc pertinent, quæ inferius diximus Scholio (7) 2) Barones etiam Principes dicuntur vid. IVS FEVDALE SAXONICVM Cap. XXXVIII. §. 8. & sqq. 3) Oppidi vel castri nobiles liberi domini, vocantur Principes, uti e. g. Comes Flandriæ apud S. ANSELMVM Lib. III. Epist. 28. Princeps Malamortensis castri dicitur. Plura exempla uberima manu congeffit Du FRESNE Gloss. Tom. III. p. 423. & 424. voce: Princeps pro dominus. Scilicet Principis olim nomen pluribus primas tenentibus commune erat. Hinc nobiles apud TACITVM M. Germ. Capp. VII. XII. XIII. Annal. Lib. XI. cap. 6. alibique adiunt Principes. Sed primus in Italia Archidux Beneventanorum hunc titulum tanquam honorem & dignitatis nomen sibi tribuit, vid. LEO*

OSTIENSIS *Lib. X, Cap. X.* Ex quo tempore sensim sensimque tantum nomen dignitatis eorum est, qui summi Imperantes sunt vel ex illis progeniti, *du CANGE Gloss. Tom. III. p. 420. & 421. voce: Princeps* nomen dignitatis; ita vero, ut sapius superiorem dominum *Chef-Seigneur ou souverain* iam in medio ævo denotet. Hinc quoque elucet omnino distinguendum esse inter *Principes Terræ* *denen Land-Herrn* & *Principes Provinciae* *denen Landes-Herrn.* 4) In medio ævo *Proceres, Optimates, Magnates, Primates, Priores, Principes der Außschuß,* vocabula sunt eadem eisdemque significatus, iam autem e. g. LL. *BVRGVND. Tit. II. §. 2.* occurrit formula: *Optimates nobiles.* Taceo alia abunde multa loca; ex quibus tamen omnibus facili negotio probatur regulariter immediata imperii membradici Principes. Illud *ὡς ἐν παρόδῳ* addo, quod nobiles vel ideo dicantur Optimates, quod optionis seu electionis ius habuerunt. quid multa? Hæc omnia ita se habere, nemo qui medium ævum novit, inficias iverit. Multo vero minus vel subdubitabit, nobiles inter Proceres referri, quippe cuius veritatis plus, quam mille exempla occurrunt in mediæ ævi scriptoribus, quæ ideo non damus, quod plane persuasi sumus, illud non necessum esse, quum nemo in hoc nobis futurus sit contradictor. Idem vero etiam dicendum est, de dogmate hoc: *nobiles sæpissime ex mediæ ævi loquendi usu, sub populo comprehenduntur.* Immo quandoque sub *plebe,* quum mediæ ævi scriptores fere nesciant differentiam inter plebem & populum.

(3) Hoc adeo verum est, ut ideo iam sæc. XIII. Gallia Rex ius *ὡς παρόδῳ* præ Germanorum Imperatore peteret, quod suum regnum

gnum iure hereditario, Imperator vero electione Principum haberet. Dicebant enim Legati Regis Christianissimi: *Credimus, Dominum nostrum, Regem Gallia, quem linea Regii sanguinis prodegit ad sceptrum Francorum regenda, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio provebit voluntaria.* Ap. MATH. PARIS. ad a. 1239. p. 464. sed quam futile atque plumbeum sit hoc argumentum iam ante me docuere Docti viri, conf. CRYSIVS *de iure ΠΡΟΕΔΡΙΑΣ* liber, qui meretur ut iterum edatur, maxime quum iam rarior evadat. Sed, qui iterum ederet addere deberet 1) Dissertationem de genuina doctrina iuris *πρωτοδρίας* eiusque veris fundamentis 2) corrigere CRYSIVM sicubi errat 3) supplere fortiora argumenta & capita ex noviori historia.

§. XIII.

Sed age iam videamus, an Germaniæ supremi moderatores etiam nobilium votis electi sint, nam tum factillime asseri poterit a nobis: *nobiles Germanos ex diuturna observantia olim etiam vota dedisse in electionem Imperatorum.* Iam extincta erat stirps Carolingica (4) unde *summa rerum Germanicarum* rediit ad Populos quorum in arbitrato fuerat, quam quisque sequi vellet formulam reipublicæ. Placuit *singulis Principatus peculiaris, isque hereditarius Principali familie adscriptus. Sed talis: qui tamen in clientelari nexu obsequioque persisteret nihilominus regni Germanici. Instar membrorum plurimum in corpore ac capite vid. Perill. Dom. a LVDEWIG in sing. Iur. Publ. p. 95. in quibus a p. 70. usque ad p. 110. hanc doctrinam quam solidissime probavit. (5) Ad datur EIVSDEM Nechtl. Erleut. der Reichs-Historie. Neque ipse GVNDLINGIVS hoc negare potuit, unde etiam in *diff. de statu Reipubl. Germ. sub Conrado I. p. 23. & 24. not. k* his verbis utitur: *Linea regnante extincta, quilibet populus in libertatem naturalem restituitur, ac in eius arbitrio positum est,**

Exempla ex Germ. Impp. historia.

est, deferre alii regnum, aut tueri ius sibi competens. Sed conf. EIVSDEM *Henricus Auceps* §. X. *ibique in notis* taceo reliqua huc pertinentia verba. Hinc Principes Germaniæ elegerunt sibi Imperatorem communem; sed salvo iure suo.

(4) Fallantur enim, quicunque existimant Conradum I. ex Carolingica stirpe fuisse oriundum nam 1) stirpem Carolingicam extinctam esse, luce meridiana clarius probatum est scriptorum testimoniis quibus accedunt ANONYMI *Chronicon Regum Francorum* apud LAMBECIUM *Commentar. De biblioth. Vindobonensi* Cap. V. Lib. II. p. 394. & CONTINVATOR REGINONIS *ad a. 911.* p. 74. sed & 2) 4. aliis ostensum est idem a *Perill. Dom. a LVDEWIG in Germ. Principe Postcarolingica sub Conrado I. Cap. I. §. 1.*

(5) Lepidi sunt, quicunque hanc veritatem, quæ certior est, quam quod certo certius, ideo agnoscere nolunt, quod novam putant. Est antiqua veritas quod satis superque probari posset, nisi otium mihi quadantenus fecisset Doctissimus Dom. Doctor GEORGISCH, de cuius amicitia mihi gratulor quam maxime, in libro elegantis atque perutili: *Zusätze zu Hrn. H. N. Strubens Reichs Historie. in Praef.* ubi erudite fata huius doctrinæ exponit.

§. XIV.

In Ottono Illustri.

Sic elegerunt Ottonem illustrem; audiamus quæso ipsa scriptorum verba! DITMARVS Lib. I. p. 325. sic refert: *Ottonem ab omnibus regni Principibus* (ex WITIKINDI verbis videbis sub his etiam intelligi nobiles) *In Regem esse electum.* Idem WITIKINDVS *Libr. I. Annal.* p. 634. sic narrat: *omnem populum* (ergo etiam nobiles) *Francorum atque Saxonum quæstivisse Ottoni diadema imponere regni. Ipsum vero quasi iam graviolem recusasse imperii onus id, quod ex illo repe-*

petunt OTTO FRISINGENSIS, ABBAS VRSPERGENSIS, GOTHOFREDVS VITERBIENSIS, SIGEBERTVS GEMBLACENSIS aliique, caussam electionis huius LEHMANNVS *Chron. Spir. Lib. III. c. 51.* his dat: *Herzog Otten haben seiner Macht und grossen Ansehens halber eines Theils Fürsten des Reichs, als Francken, Sachsen, das Kaysertum aufgetragen. Sed Otto, verbis Perill. Dom. a LVDEWIG in Germ. Principe sub Conrado I. Cap. I. §. III.* utor, quo erat vir subactus usu magnaue animi altitudine præditus, Saxonix amplissimum ducatum Francorum corollis mutare noluit. Reliquæ enim Germanix Provincix utrum Francix imitationis exemplum essent, incertum; cogere ad obsequium invitæ, alex plenissimum nefasque iudicavit. Ideo commendavit Germanis Conradum I. salvo tamen iure suo, ob quas causas, narravit *Perill. Dom. a LVDEWIG l. c. Cap. I.* Hinc electus est Conradus I. Cape scriptorum relationes: *DITMARVS Lib. I. Annal. p. 325. Otto, ab omnibus in regem electus Conradum sibi quasi ad hoc indigno præposuit, seque cum filiis fidei sue subdiderat. GOBELINVS PERSONA: Et cum Ottonem Ducem Saxonix decernerent eligendum, ipse se propter senium excusavit suasitque eligi quendam Potentem ex genere (seu natione) Francorum. Conradum nomine, & consenserunt principes in illum & cessavit stirps regalis Teutoniae e Carolo M. descendens. CONT. LVITHPRANDVS Lib. II. Cap. 7. WITKINDVS Lib. I. p. 635.* Post Conradum obtinuit summam in Imperio Germanico Henricus cognomento Auceps libera electione Germanorum. Licet non omnium; de quo agere instituti nostri non est, sed tantum hic libera electio & reliquorum reprobatio notanda, quippe quod ad scopum nostrum tendit. Sic vero scribit AVCTOR SVP-

In Conrado I.

In Henrico Aucepe

D

PLE-

PLEMENTI REGINONIS ad a. 920. p. 74. *Henricus Dux consensu Francorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum Rex eligitur.* EKKEHARDVS Cap. V. *De casibus monasterii s. Galli p. 29. Fit colloquium publicum (seu comitiæ Imperii) Henricus Francorum & Saxonum consensu elevatus in Regem.* Licet vero ex his testimoniis latis superque ad intelligendum sit, nobilium suffragiis electum esse Henricum, tamen hoc adhuc magis definite loquitur WITIKINDVS *Lib. I. Annal. p. 637. ubi ita: Eberhardus (Dux) congregatis Principibus & natu maioribus exercitus (in quo nonnisi nobiles erant) Francorum (h. e. denen ältesten der Fränkischen Mitterschafft) in loco qui dicitur Erdislerz (Griffar seu, castrum Friderici) designavit eum regem coram OMNI POPVLO Francorum atque Saxonum.* Qui quidem locus maxime memoria dignus est habendus quum adeo illustret ius eligendi Imperatores nobilibus competens. Conf. LVITHPRANDVS *Lib. II. Cap. 7.*

§. XV.

In Ottone
Magno.

Henricus Auceps senio iam confectus convocavit ad comitia Principes, ut sibi successorem dicerent, qua propter ipsis filium suum Ottonem commendavit, qui etiam electus admotus est Imperii Gubernaculis. Rem sic memoriæ produnt WITIKINDVS *Annal. Lib. I. p. 641. Cum Henricus se iam gravari morbo sensisset, convocato OMNI POPVLO, designavit filium suum, Oddonem, Regem, cæteris quoque filii prædia cum thesauris distribuens.* Explicatius vero p. 642. ita pergit: *Defuncto patre patriæ & regum omnium maximo Henrico, OMNIS POPVLVS Francorum atque Saxonum iam olim designatum a Patre filium eius Oddonem elegit sibi in Principem Universalisque electionis notantes locum inserunt esse ad Aquisgrani palatii.* Hæc magis

magis illustrant, quæ ibidem dicit: *Cum* (Aquisgranum) *ventum esset*, DVCEs AC PRAEFECTORVM PRINCIPES, CVM CETERA PRINCIPVM MILITVMQVE MANV *u. r. l.* sic VERO DITMARRVS *Annal. Lib. II. p. 331.* *Omnes Reipublicæ Principes magni reginæ Mechtildis merorem lenire cupientes, Ottonem, filium eius, Patris sui decreto ac petitione uno ore in Regem sibi & Dominum elegerunt.* AVCTOR ANONYMVS VITAE MATHILDIS *Cap. II. p. 196.* *Henricus ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos Principes regni convenire præcepit, ut se invicem coadunarent, quem suorum filiorum regale solum possidere eligerent & p. 197. Post excessum inchoiti Regis Henrici, ductores primi conveniebant, & de statu regni consilium habebant - - Sceptrum regiminis cessit Ottoni.* Sic quoque Otto M. *in Ludolpho,* curavit ut Principes sibi successorem eligerent Ludolphum, postea tamen ante Patrem mortuum. Scriptores ex inscitia rem minus apte narrant, qui ideo corrigendi, vel tamen explicandi sunt, ex mediæ ævi moribus usuque loquendi. Sic vero WITIKINDVS *Annal. Lib. III. Otto, facta* (ab ipso & statibus Imperii, ut patet ex loco mox dando) *testamento* (seu testatione aut actione publica præeunte electione) *creavit* (Liudolfum filium suum) *Regem post se.* Paulo vero aptius CHRONOGRAPHVS SAXO *ad a. 947. p. 160.* rem ita narrat: *Rex - - (Liudolfum) communi totius senatus* (seu concilii statuum Imperii, quod concilium perperam vocant senatum, quum status Imperii non sint consiliarii vel senatoreres Imperatoris atque Imperii sed Imperii Imperantes seu coimperantes cum Imperatore, quo lumine hic indiget doctrina Juris publici Romanizans) *eum regni consortem constituens, sibi que succedere optans.*

§. XVI.

de Ottone II.

Quum vero, uti iam diximus Ludolphus diem obisset, Otto M. evocavit Imperii status, ut eligerent de-
 nuo successorem, quorum quidem votis coimperium
 atque successio delata fuit ipsius filio Ottoni II. Hinc
 REGINONIS CONTINVATOR *ad a. 961. p. 80. Rex (Otto M.)*
in Italiam ire disponens, inquit, maximam SVORVM FIDELIVM
MVLTIIVDINEM Wormaticæ coadunavit, ubi consensu & una-
nimitate REGNI PROCERVVM TOTIVSQUE POPVLI, filius eius
Otto Rex eligitur. Indeque progrediens convenientia quoque
Lothariensium Aquis rex ordinatur. RVOTGERVS in vita Bru-
nonis §. XXXVI. p. 286. (Otto M. filium Ottonem II.)
electum summo consensu ab OMNI POPVLO Regem esse constitu-
it, unxeruntque Ottonem æquivocum patris, Bruno -- & exul-
tavit maxima gratulatione populus, dicens: VIVAT REX IN AE-
TERNVM! hinc etiam apud ALBERICVM p. II. Chronici ada.
972. p. 19. Coimperator Otto II. ex illo tempore vocatur.
 Nihilominus, ex eius temporis moribus, iterum, Pa-
 tre excesso ex vivis, omnis Populus dedit consensum in
 Ottonis electionem atque præstitit ipsi atque Imperio
 homagium. Meretur hæc res ob lumen quod exinde
 ad nostri temporis tenebras dispellendas capere possu-
 mus ut WIKINDAEA relatione constat, quippe qui *Lib.*
III. Annal. p. 663. sic habet: Licet Otto iam olim inunctus
esset in Regem, -- (nihilominus) ut initio certatim manus
(ei) dabant (Imperii status) fidem pollicentes, & operam suam
contra omnes, adversarios sacramentis militaribus (bey cava-
liers parole) confirmantes (positis in gladios digitis) igitur
ab integro ab OMNI POPVLO electus in principem cetera.
 Cave autem existimes ideo, quod hic filii patribus suc-
 cello.

cessores, Imperium tum hereditario iure devolutum esse in successores, nam est hæc doctrina ab omni dubio quam liberrima: *Quod tum Imperium mere electitum fuerit* idque ob ipsius OTTONIS M. confessionem in DIPLOMATE A. 937. concepto, quod quidem cum eadem hac observatione integrum dedit *Perill. Dom. a LVDEWIG in Sing. jur. Publ. p. 93. sqq. infima cera.* In eo vero Imperator his utitur verbis: *Si aliquis generationis nostræ in Franciæ & Saxonie potestativa manu succedat sedem - - Si autem aliter e populo eligatur Rex.* Ergo Germaniæ status potuerit & alium eligere quam qui ex Regia stirpe esset. Germani vero & subsequutis temporibus liberum electionis ius strenue sibi & adseruerunt & conservarunt quod facili negotio contra HIPPOLYTHI A LAPIDE nugæ conficitur ex exemplis quæ iam sequuntur.

§. XVII.

Otto autem II. id agebat, ut conscriptis Principibus *In Ottone III.* filium suum sibi successorem commendaret, quam quidem rogationem explevit Germaniæ Procerum concilium, quum nihil dubii impediret. Audiamus DITMARMUM *Annalium Lib. III. p. 347. Imperator Verone placitum habuit* (tu hic observa, ergo nondum certum electionis locum fuisse) - - *Et filius Imperatoris ab OMNIBVS in Dominum eligitur.* Hic quoque mihi *ὁς ἐν παρόδῳ* observandum est, illos valde ineptire, qui volunt, hunc Ottonem III. instituisse Electorum collegium, quum ex subsequentium temporum exemplis pateat omnem populum etiam postea per satis longum temporis spatium elegisse. (6) *conf. SPENRII P. Lib. II. Cap. IV. §. V. c) p. 164. sqq. Nec Quatuorviratus huic originem debet, sed quorundam ho-*

minum ingenio ad fingendum proclivi. Recte vero FREHERVS *in notis ad PETRVM DE ANDLO* p. 161. ait. *Quaternariam procerum & ordinum distributionem in oculis & ore vulgi frequenter adparere, idoneum tamen fundamentum nullum habere.* Vnde etiam has veterum maxime nœnias iure meritoque singulari *Diff.* optime confutavit Excell. DITMARVS *de Quatuor viratu.* Otto ex filia Ottoni nepos, *ob consanguinitatem* (quum mallent Germani subsistere in regia domo, si habiles satis ad Imperium capeffendum caperet; sed ideo regnum minime hereditarium. Cape simile exemplum Iohannis Pastoris filius Iohannides Patri successor eligitur quod habilis, ergo nolim dicere Pastoris munus hoc casu esse hereditarium) *etatis virtutumque maturitatem* (causas præcipuas electionis) ab Henrico tunc Duce eligebatur, sed recusavit hoc onus. Vid. DITMARVS *Annal. Lib. V. p. 370.* vnde Henricus sanctus electus deinde est agnitusve a Saxonibus Francis Thuringiacis Lotharingicis. Haud abs re fore puto si omnem rem ipsis scriptorum verbis enarro. TANCMARVS *In Vita S. Berwardi Cap. XXXIV. p. 457.* *Willegistus, Archiepiscopus, & Beatus Berwardus cum ceteris regni Principibus dominum Henricum Moguntiam cum summo honore ducentes, - - regimen & regiam Potestatem, cum dominica hasta (seu sceptro vid. B. HOFFMANNVS *de Sceptro & Cel. IOACHIMI amici nostri doctus liber singularis de S. R. I. Archicamerario*) illi tradiderunt. Conf. AVCTOR VITAE MEINWERCI §. XI. p. 521. AVCTOR VITAE S. BURCHARDI WORMATIENSIS & ex hoc MONACHVS KIRSGARTIENSIS *in Chron. Wormatiensi Cap. XI. p. 53. Tom. II. Reliq. med. ævi*, aureis vere ob sumtus impensos & utilitatem maximam, Perillustris Domini a LVDEWIG. De homa-*

In Otone
Francie
Duce.

In Henrico
Sancto.

